


Johann August Ernesti

**Rector Universitatis Ad Solemnia Paschalia Pie Et Religiose Celebranda
Illustrissimos Comites Utriusque Civitatis Proceres Generosiss. Humaniss.
Commilitones Invitat : [A. C. MDCCLXV.]**

Lipsiae: Officina Langenhemia, [1765]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn830177361>

Druck Freier  Zugang



Via Proprietas sive Dupl.

71


572

Fa-1092 (ii.)

- N. 1. Wippel *Labum sub Daniel Eremita.*
- N. 2. Christoffelius *lingularia octingenfia*
- N. 3. la providence ne s'interesse point à l'individu mais à l'espece.
- N. 4. Tychsen *abbreviaturarum hebraicarum supplementum l.*
- N. 5. Burfeker *de gaza derelicta futura ad illustrandum locum Zeph.*
 xl. 4. *Dissertatio postposita.*
- N. 6. Ernesti *de praeparata corpori et sanguini Christi in coena sacra.*
- N. 7. ~~Ernesti~~ *de Concilio Tridentino part. l.*
- N. 8. Aepinus *Imp. Caroli Ch. merita in rem sacram.*
- N. 9. Charvicius *de sapientia sanctissima rite colenda.*
- N. 10. Tychsen *de delectu veterum ebraeorum dissertationis l.*
- N. 11. Witte *de genuina S. G. universali natione.*
- N. 12. Boederlein *de finibus theologiae dogmaticae et moralis recte constitutendis.*
- N. 13. Weidenes *quod salus aeterna non meritis nostris sed solum Dei gratia per meritum Christi acquiritur ne talis*
- N. 14. *Item Regentius male regens et fanaticus reditum ad Papismum frustra suadet.*
- N. 15. Rufius *de veris sinceris peccatoris Christi requisiti etc.*
- N. 16. Zaachre *de lege aequilibratae in natura observatae etc.*
- N. 17. Schmid Verisio *Alexandrina optimum interpretationis librorum sanctorum praedictum.*
- N. 18. Richter *de theologo Dei Romine ad 2 Thim. III. 17.*
- N. 19. Schubert *de iudicio Joannis Calvini et Figurorum in causa Haereticorum.*
- N. 20. Zachariae *de usu dogmatico nomini filii Dei.*
- N. 21. Emmerling *interpretatio. Num. XXII. 20-35.*
- N. 22. Hoerfelmann *de divina punctorum vocalium et aereentium codicum hebraici origine.*
- N. 23. Haempfer *de modo praedicationis Paulinae per aegaei dicit*
1 Cor. II. 4. 5.
- N. 24. *Item de modo praedicationis etc.*
- N. 25. Haestner *Ernesti - Grund des Unsterblichkeits des menschlichen Geistes.*
- N. 26. Christoffelius *de vita Pamingerorum commentarius etc.*
- N. 27. Becker *quaestio: an aeterna annihilatio hominum peccatorum fore etc.*

- N. 28. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericianae Butowien-
 N. 29. Fauvotius de poena hereticorum etc.
 N. 30. Doederlein de vero usu atque abusu rationis humanae in rebus diuinis
 N. 31. Dem de usu atque abusu rationis etc.
 N. 32. Rector Academiae Lipsiensis Pentecostales ferias etc.
 N. 33. Rector et senatus academicus civibus Academiae Fredericianae Butowien-
 N. 34. Academiae Fredericianae Butowienfis Rector et senatus acade-
 micus memoriam resurrectioni Christi etc.
 N. 35. Dem solemnia natalia Domini nostri Jesu Christi etc.
 N. 36. Zachariae Christus $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma\ \epsilon\kappa\ \tau\omega\upsilon\ \rho\epsilon\gamma\eta\upsilon\upsilon\ \nu\epsilon\mu\omega\upsilon$
 N. 37. Rector et senatus academicus Butowienfis etc.
 N. 38. Zachariae Christus $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\tau\omicron\kappa\omicron\varsigma$
 N. 39. Rector et senatus academicus Butowienfis etc.
 N. 40. Marrius de jurisprudentia diuina ex codice sanctissimo
 N. 41. Becker an Gn. D. Teller nisi negata vera spiritus sancti deitate etc.
 N. 42. Dem an Christus in sua explanatione et ascensione etc.
 N. 43. Chrylander de fundamento explanationis Christi Romini maiestatis
 N. 44. Dem recensio scriptorum eruditorum
 N. 45. Rottboell de vestibus et calceis Israelitarum.
 N. 46. Trendelenburg de Iudaeis etc.
 N. 47. Ministerii quae hincenburg Pastoralis scripturae etc.
 N. 48. Rector vniuersitatis ad solemnia paschalia etc.
 N. 49. Quistorp de ratione modoque quo peccati fomes etc.
 N. 50. Becker creationis vniuersi gloria filio Dei etc.
 N. 51. Quistorp de $\lambda\omicron\gamma\omega\ \text{Pauli}$ (Cor. 1. 5)
 N. 52. Prier de sanctis angelis et apostolorum etc.
 N. 53. Detharding de cura infantum recentium penes etc.
 N. 54. Martini de non usu iudicii denuntiatorii in Megapoli.

RECTOR
UNIVERSITATIS
AD
SOLEMNIA PASCHALIA
PIE ET RELIGIOSE
CELEBRANDA
ILLVSTRISSIMOS COMITES
VTRIVSQUE CIVITATIS PROCERES
GENEROSISS. HVMANISS.
COMMILITONES
INVITAT.





um vniuerso generi humano communis sit, vt
salutis restitutio, per mortem I. C. parta et
per reditum eius in vitam obsignata, ita lae-
titia ex tanto, tam necessario nobis et opta-
bili bono; tum vero ea tam iusta laetitia
quandam, nec illam paruam, accessionem habet in nobis,
qui non de genere Abrahami nati, illius salutis legitimi here-
des sumus, sed e gentium impiarum colluue ad tanti boni
communione vocati, veluti heredes secundi accessimus.
Etenim hunc aditum ad eam societatem nobis proprie pate-
factum esse per mortem Christi et reditum eius in vitam,
clare docent tum alia, tum praeceptum Christi viuificati, de
salute sua gentibus omnibus promiscue deferenda, et diserta
Paulli Apostoli demonstratio.

A 2

Ipsum

Ipsū quidem Christum, quoad docendi munere in his terris fungeretur, et verbis et factis se Israelitarum modo doctorem tulisse, iis solis salutem suam, ut quibus solis diserte per prophetas promissa esset, obtulisse (*Matth.* XV, 24.) atque his finibus etiam discipulorum in docendo ministerium circumscripsisse, (*Matth.* X, 5. 6.) satis constat. Nam etiam si interdum quasdam significationes dederat eiusdem salutis post haec cum aliis gentibus communicandae, quales etiam per prophetas editas constabat inter ipsos Iudaeorum doctores: rem tamen ipsam distulerat, nec eius initia iusta modumque definierat, aut de ea mandata discipulis dederat, ne in illis ultimis quidem sermonibus, quibus, morti proximus, dederat de aliis multis. In quo ipso fecerat, ut in omnibus aliis, sanctissimus Servator, et totus ad voluntatem Patris compositus, quod promissis consentiret ipsi Prophetarum ore factis, *Ez.* LIII, 10 sqq. *Pf.* XXII, 28 sqq. ut in gentium fide esset praemium susceptae pro generis humani salute mortis acerbissimae, et pars illustis regni novi, cuius initium proprie ab reditu in vitam duceretur, solennis autem inauguratio in sacro quinquagesimae per effusionem Spiritus et signum linguarum novarum. Itaque tum demum rem aperuit discipulis, cum instaret illa solennis regni sui inauguratio, etiam tum nondum satis percipientibus, quae diceret, donec multis aliis significationibus diuinis et rebus ipsis erudirentur.

Sed nihil clarius est testimoniis Paulli Apostoli, in ea re imprimis docti, ut cuius ministerium maxime inter Gentes exercebatur. Nam *Eph.* II, 15. scribens ad Christianos imprimis eos, qui e Gentibus essent, per mortem Christi esse sublatam, ait, obstructionem, quae Iudaeos ab ipsis discreuisset, et extinctam inimicitiam ab lege ceremoniali, τῶ νόμῳ τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι, ipsa lege illa abolenda:

in epistola autem ad *Colossenses* II, 14. in cruce deletam esse legem ritalem, et velut fixam clavis et discissam, quae discidium illud inter Iudaeos et Gentiles attulisset, nec fuisset coire pacem et societatem vtriusque generis. Nam χειρόγραφον τοῖς δόγμασι, *scriptura ritualis*, vel de ritibus, nihil aliud est, quam νόμος ἐντολῶν ἐν δόγμασι, *lex, habens praecepta ritualia*; quam eleganter *chirographum* obfians Gentibus, appellat, non modo ad vsum verbi in re pecuniaria alludens, sed etiam ad legis ab Evangelio discrimen, propter quod lex, quia primum per scripturam promulgata est, *chirographum*, vt 2 *Cor.* III, 6. γράμμα, *scriptura*, appellatur, cum Evangelium dicatur *spiritus, πνεῦμα*, quia eius prima promulgatio sine litteris et scriptura, per Spiritum Sanctum, in Christo et per Apostolos loquentem, facta est. Ea autem discidii causa sublata, per vitam Christi nouam, Gentibus, ait, esse datam vitam nouam, v. 13. (συνεζωποίησεν, ait, ὑμᾶς σὺν αὐτῷ) primum condonatione peccatorum paranda, deinde lege rituali, et, cum hac, circumcissione tollenda, quae mortis instar fuisse, ante dixerat: κενῶς ὄντας ἐν τοῖς παραπτώμασι καὶ τῇ ἀκροβυσσίᾳ τῆς σαρκὸς ὑμῶν.

Omnino totus ille locus de confociatione vtriusque partis, eiusque causis et consequentibus, nusquam luculentius est explicatus in libris Apostolicis, quam in his duabus ad Christianos Ephesinos et Colossenses, quorum maxima pars e Gentibus erat, epistolis, argumento, ratiocinationis ac disputationis serie, etiam genere verborum simillimis, et difficultate intelligendi singula, si non populari librorum elementarium trutina ponderare, sed ad subtilis iudicii normam exigere coneris. Hic profecto sunt non pauca ex illis *tenebrosis Paulli*, quae negligi ab Observationum sacrarum scriptoribus dolebat *Valkenarius* V. Cel. (ad *Euripid. Phoeniss.*

niff. p. 453.) dum in perspicuis illustrandis obscuram diligentiam confumerent. Quo minus alienum erit et ab studiis nostris et ab hoc tempore, aliquid studii ponere in locis quibusdam non modo earum epistolarum, sed etiam proprie pertinentibus ad eam, de qua diximus, causam, quae hoc tempore proprium nobis laetandi argumentum praebet.

Etenim quibus locis de ea coniunctione Israelitarum et Gentium loquitur Paullus per mortem Christi instituta, in utraque epistola, commemorat etiam eorum, quae in coelis et quae in terra sunt, pacificationem, *Eph. I, 10. Col. I, 20.* In quo interpretando omni tempore vel fluctuati sunt, vel torserunt se doctores. Nam quae in coelis sunt, alii de Deo patre acceperunt, quem terris esse per Christi mortem reconciliatum, ut *Cyrillus Hierosol. Catech. XIII.* alii de angelis, ut *Chrysostomus*, et quicumque ex eius commentariis profecere, hoc est, Graeci interpretes post eum omnes; quae et inter Latinos sententia tenuit et inter nostros. In quo tamen et ipso varie senserunt, cum explicandum esset dissidium, quod angelos hominesque intercessisset, aliis ad odium angelorum aduersus homines improbos, aliis, ut *Damasceno*, ad luctum modo ex vitiis et miseriis humanis trahentibus.

Enimuero sicut priorem illam interpretationem ipsa forma verborum repudiat, multitudinem intelligi iubens; sic utrique res videtur repugnare. Nam ii, quos inter facta est reconciliatio, per eam coniuncti sunt sub capite communi Christo, *Eph. I, 10.* quod *Col. I, 20.* est, *reconciliari ad ipsum* (*εις αὐτόν*), ut ad ipsum communiter tendant, ei se pariter adiungant sensu, cultu, spe etc. Id, ut est in promptu, nullo modo in Deum Patrem cadere, sic nec angelis aptum est, qui etsi Christum, ut Creatorem, et Dominum suum, pariter adorant, *Ebr. I, 6*, et opus ab ipso peractum laude et admiratione prosequuntur; tamen in membris corporis,

poris, ut capitis communis, non numerantur, nec ad ipsos
 vlla ex parte pertinuit redemptionis opus eiusque fructus,
 (*Ebr. I, 16,*) sed ad solos homines, quod iam intellexit
Beza, cum Deo per ipsum, et cum ipso per fidei vnitatem,
 inter se denique per amoris ab illo orti vinculum copu-
 landos.

Ac bene est, quod praeclari, etiam de nostris, viri,
 ea re perspecta, coepere discessionem facere ab illa prisca
 interpretatione, quae se facile obtulerat, a primo adspectu
 verborum occurrente angelorum cogitatione. Sed nescimus,
 an multo melius, ac non etiam contortius sit, quod est ei
 ab horum ingenio substitutum. Volunt enim partem eam,
 quae in coelis est, intelligi de coetu animarum beatarum,
 quam Ecclesiam triumphantem consuetudo nostra ex *Ebr.*
XII. 23. appellat. Nam quod *Beza*, primus, quoad scia-
 mus, a prisca interpretatione discedere ausus, fideles Ve-
 teris Testamenti, qui tum in coelis essent, intelligi voluit,
 id redit eodem. Quodsi sola illa verba in epistola ad Ephe-
 sios spectarentur, et ea, quae ibi memoratur, ἀνωκεφα-
 λάωσις in Christo, esset fortasse, ut ea ratio probaretur.
 At reclamant, ut opinamur, cetera omnia.

Primum, in illo ipso versiculo, ea coniunctio facta di-
 citur εἰς ὁικονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, *tempore,*
quod esset destinatum consilio diuino. At Ecclesiae trium-
 phantis et militantis consociatio, etsi nititur in Christi morte,
 tamen non illo demum tempore, quo mortuus est, initium
 habuit, sed fuit semper, et per omnem testamenti veteris
 tractum. Deinde non oportet illa sola verba spectare, sed
 quae de ea re et *C. II, 14 - 18,* et imprimis *Col. I, 20.* di-
 cuntur, vbi eandem rem aliis verbis exprimi clarum est.
 At in posteriori loco, *ea, quae in coelis et in terris sunt, re-*
conciliata dicuntur ad vnitatem in ipso: nec ea est recon-
 ciliatio

ciliatio cum Deo Patre, quae separatim per parenthesin commemoratur, *pace facta per mortem*: in altero, *οἱ δύο, οἱ μακρὰν καὶ οἱ ἐγγύς*, et per illam reconciliationem vtrique in Christo vno Spiritu accessum habere ad Deum Patrem. Quam autem reconciliationem *κατὰ πλήρωμα τῶν καιρῶν*, a certo tempore, et concordiam morte Christi constitutam esse dicimus vtriusque Ecclesiae, quae semper est et fuit concors, et omnem cogitationem dissidii ac discidii respuit, cum militantis et triumphantis Ecclesiae non sit generis in diuersas formas, aut totius in partes diuisio, sed eiusdem numero Ecclesiae duplex modo status et conditio, in quarum altera sit spes, in altera res et possessio. Denique, quomodo Paullus hanc beatorum in coelis et fidelium in terris coniunctionem in Christo, vocet *mysterium, arcanum Dei consilium Eph. I, 9*. etc. quod suo tempore reuelaretur, quod sibi inprimis, et per se aliis patefactum esset? cum illa coniunctio fidelium omnium nunquam non perspecta fuerit fidelibus inde ab origine religionis, quae salutem per Messiam sperandam et petendam proponeret, intelligaturque per se, sicut omnes, quae vsquam sunt, naturae intelligentes, vnam, velut vnus domus et parentis Dei, familiam conficere, communis creatio indicat.

Itaque in promptu est, aliam esse interpretationem quaerendam, quae cum consilio Paulli et tota vtriusque epistolae serie, dictisque omnibus, magis consentiat, nec tamen pugnet cum vsu loquendi Scripturarum. Quam olim nos quaerentes, cum Scripturas coepissemus tractare studio nostro, hoc est, assidua et crebra lectione, et obseruandis comparandisque locis similibus, in quo clauem esse Scripturarum, vt est, ita traditum nobis tenebamus, suspicati fuimus fore talem, si ea, quae in coelis essent, intelligeremus Israelitas, quae in terris, Gentes. Sed in ea suspitione ab
rebus

rebus ducta, aduersari videbantur verba, quae vel sic dicta esse, vel in tali genere orationis sic dici posse, non vel audieramus vel repereramus. Post idem dudum *Lockio* visum cognouimus, quem eadem via ad opinionem eam delatum fuisse, vt ad alias ex eodem genere, planum erat, quamquam adiutum etiam, vt ait ipse, et forte primo monitum interpretatione verbi ἀνακεφαλαιώσασθαι in Versione Britannica, sumta a *Caluino* scilicet (*Comm. in. Epp. Pauli p. 432.*) et *Beza*, qui *recolligere* interpretati sunt. Et post alios quoque meminimus nos reperire, sed omnes *Lockio* posteriores, vt *Schoettgenium* in *Horis Talmūd.* qui eam interpretationem probarent, siue sumtam ab illo, siue eadem via, vt fit, repertam, sed ita, vt ei firmandae et illustrandae iustam operam non impenderint. Nam habet profecto illa interpretatio aliquid offensionis, vt diximus, ex adfuetudine res coelestes et terrestres intelligendi de angelis et hominibus, et in coelo et terra cogitandi loca, quae verbis iis proprie exprimuntur: nec sufficit dicere (cum *Lockio* et *Schoettgenio*) etiam alibi coelum de Ecclesia dici, vt bene monuit *Bruckerus V. S. R. ad b. l.*

In quo tamen cauenda est iniquitas, aut fortasse interdum etiam inscitia nonnullorum, qui ita dicant, vt in aliis interpretationibus non malis recentiorum vidi interdum dictum esse, non esse consequens, vt, quia verbum *coelorum* vno aut altero loco de Ecclesia dicatur, propterea etiam hoc in loco ita intelligi debeat. Nam profecto non est hoc consequens, sed nec quisquam interpretandi non plane rudis ita ratiocinatur: sed quando clarum est, in genere illo orationis graecae, quo vtuntur Scriptores diuini, esse non nimis pauca, quae nec e graeca lingua, nec ex hebraica, quoad libris V. T. cognoscendis tenetur, perspicue ducta

B

videan-

videantur, ea quae sunt in idiomatis orationis Apostolicae; intelligitur id, quod magistri interpretandi in Ecclesia nostra semper tenere et teneri voluere, in pluribus locis sensum indagandum esse ex rebus, contextu et collatione locorum similium: ea autem via ubi repertus sit sensus, iis omnibus bene consentiens, tentandum esse, si possit cum usu loquendi conciliari sic, ut intelligatur aliquo modo, quomodo verba sic dici potuerint: quod praecipitur, estque necessarium propterea, ne libidini fingendi quidlibet, et rerum indolem praetexendi, fores aperiantur. Eam rationem esse certam, et omnibus omni tempore bonis interpretibus, etiam in libris humanis, usurpatam, dubitari sine turpitudine non potest. Nam multa etiam in his sic primum intellecta sunt, vsusque loquendi cognitio saepe fuit posterior cognitione sensus ex rebus ducta. Agite igitur, periculum faciamus, an possimus illam sententiam rebus ipsis et velut Paulli ipsius auctoritate adhibenda, probabiliorem efficere, et minuere offensionem, quam ex verbis videtur habere.

Ac primum, ut ab eo initium faciamus, quod, concessu et consensu omnium interpretum, sumere possumus, clarum est, partem vtriusque epistolae primam, quae est dogmatica, pertinere ad explicationem beneficii diuini, quod hominibus, primum communiter omnibus, tributum est, per redemptionem I. C. deinde, et quidem inprimis, alterius, quod proprie Gentibus, vocatis et adductis ad communionem bonorum Christi, et, inuisa Gentibus lege rituali abolenda, insertis Ecclesiae verae, quae fuerat ante in populo Iudaico vno; ut essent iam cum Christianis e Iudaismo vnum Christi corpus, ut capitis. Ea porro demonstratio, ut in vtraque epistola confertur ad incendendos animos admiratione benignitatis diuinae aduersus eos, quibus nihil illius salutis

factus promissum erat, aut debebatur, ita proprie in epistola *ad Colossenses*, ad firmandos animos aduersus doctrinam Iudaicae legi fauentem, exigentemque a Christianis circumcisionis et aliorum rituum conseruationem, *II, 8-23*. In hoc igitur argumento explicando, quem locum habere potest vel instaurata inter angelos et homines amicitia, vel Sanctorum in coelis et in terris consociatio spiritualis? Quis non statim intelligit, in iis verbis, de quibus quaeritur, et in quibus, certe in epistola ad Ephesios, est summa institutae disputationis, expressam esse debere illam coniunctionem Iudaeorum et Gentium ad vnitatem Ecclesiae, quae est Christi corpus, *Eph. I, 23*. quod tum demum est, si verba eo, quo propositum est, modo explicentur.

Illud porro non est leuius, quod in utroque loco statim sequitur applicatio eius, quod vniuersè de coniunctione coeli et terrarum dixerat ad Christianos Ephesinos et Colossenses e Gentilismo et Iudaismo: *ἐν αὐτῷ*, inquit, *Ephes. I, 11*. *ἐν ᾧ καὶ ἐκληρώθημεν* etc. in eo Christo, inquit, haec copulatio coeli et terrae facta est, in quo primum nos, Iudaei, allecti sumus, vt essemus, secundum promissam prophetarum, primi, qui crederemus Christo, deinde v. 13. etiam vos Gentiles, cognito Euangelio, quod illam vobis salutem denunciat. Tum porro pergit ad latius rem explicandam, demonstrandumque, quales fuerint, quales nunc sint, postquam Christus sustulerit morte sua id, quo distineretur vtraque generis humani pars, et eos coniunxerit cum illis, qui per natales essent heredes salutis diuinae per Christum, *I, 18. II, 22*. vid. inpr. v. *11. 12. III, 6-13*. Nec alia est series orationis in epistola altera. Nam ab eadem propositione *I, 19*. de decreto diuino per Christum reconciliandi omnia, et quae in coelis sint, et quae in terris, tran-

fit ad euentum illius decreti in ipsis Colossensibus, quos, ante extraneos, adductos esse ad salutem; quod deinde *II, 9.* diligentius explicat, modo etiam rei demonstrando. In hac tali serie differendi, quem locum possunt habere angeli aut sancti in coelis? aut de quibus aliis, quam de Iudaeis et Gentibus cogitari potest? Neque enim potest esse aliud in propositione et summa rei, aliud in explicatione et applicatione, nisi quis Paullum nauiter imperitum differendi velit iudicare: quod profecto quisque longe ab se velit abesse.

Illud autem iam supra tetigimus, quod est profecto non leue, et haud scio an grauissimum, quod in ea re Paulus ait esse *arcanum, rem ante ignotam*, nunc demum sibi et aliis, quibus Deo placuerit, patefactam, *Eph. I, 9.* proxime ante illam propositionem, de coelis et terris per Christum consociatis. Sed illius arcani mentio etiam crebra est posthaec per epistolam, et illam ipsam, et alteram, vt *Eph. III, 3. 4. 9.* iisdem quibus ante verbis, *Coloss. I, 26. 27.* et est semper eiusmodi, vt ad coniunctionem Gentium cum vera Ecclesia Christi, quae e Iudaica orta est, referatur, et per eam explicetur. An igitur aliud esse potest in loco eo, vbi primum summam illius mysterii proponit? Non profecto, si nouimus Paullum et eius rationes differendi, omninoque rationem rei bene explicandae non penitus ignoramus.

Ipforum autem verborum, quibus mysterium illud explicatur, *ἀνακεφαλαίωσασθαι τὰ ἐν τοῖς ἔθνεσιν καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς*, collatio cum aliis formis verborum ad id explicandum pertinentibus, pro ea, quam tractamus, interpretatione, pugnat. Nam *Cap. II, 14. sqq.* iterat illam sententiam, commendandi beneficii causa, cuius vult Ephesios esse
memo-

memores v. 11. *Ἰαμ ἀνακεφαλαίωσασθαμ* clare exprimitur per *ἐν ποιῆσαι*, *ἕνα καινὸν ἀνθρώπον κτίσαι*, v. 14. 15. Itaque et *ἀμφοτέρα* et *ἀμφοτέροι*, quos Christus pace facta vnum fecerit, ad vnum nouum hominem redegerit, sunt *τὰ ἐν τοῖς ἔρ. καὶ ἐπὶ τῆς γῆς*. At illi sine omni dubitatione sunt Iudaei et Gentiles, *οἱ μακρὰν καὶ οἱ ἐγγύς* v. 17. *οἱ λεγόμενοι ἀκροβυστία*, καὶ ἡ λεγομένη περιτομὴ ἐν τῇ σαρκί, v. 11.

Denique in fine totius loci et partis dogmaticae, explicata clare coniunctione Iudaeorum et Gentium et discriminis omnis sublatione, preces pro Christianis nouis faciens, III, 1. *τέτου χάριν*, inquit, *ἐγὼ π.* etc. Propterea igitur *adoro patrem I. C. ex quo omnis illa coelestis et terrestris familia et est et appellatur*. In quo clarum est respici ad superiora, verbis ad I, 9. sententia ad explicationem arcani de Iudaeis et Gentibus. Aut nihil in toto hoc genere interpretandi vsquam collatio et inde ducta ratiocinatio valet, aut hinc clarum est, *τὰ ἐν τοῖς ἔρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς* esse eo, quo diximus, modo, intelligenda.

Et haec quidem ab re, contextu et collatione argumenta sunt: ad verba veniamus; a quibus maxima est illius interpretationis offensio. Nam in tali disputatione, cum sensus loci difficilioris quaeritur, maxime solet esse in promptu, vt in verbis maneat, etiam apud eos, quibus nihil minus, quam verborum et litterarum scientia curae est. Sed ego in hac parte defensionis non admodum vtar locis propheticorum librorum, aut solis iis, in quibus *coelum* et *terra*, vel solum *coelum* symbolica Ecclesiae appellatio est, vt satis ex *Esaia* et *Ioannea Apocalypsi* constat, et *Vitringae* ad vtriusque loca (*Es. V, 6. XXIV, 21. Apocal. VI, 12.*) et aliorum notatis. Nam quae in figurata illa et symbolica oratione dicuntur, ea non statim et eodem modo

dicuntur in sermone docentis et explicantis capita doctrinae. Ceterum illud tamen recte dici potest, atque exemplis clarum fieri, ab illa tam crebra Ecclesiae verae per coelum appellatione, in qua regnaret Messias, ductum fuisse in scholis Iudaeorum morem, tempora Messiae et veram Ecclesiam per *regnum coelorum* exprimendi, etiam in docendo, ut patet ex Collectis *Wetstenii* ad *Matth.* III, 2. eamque ob causam sic a Christo usurpatam eam appellationem esse in ipsa doctrina perpetua. Sed e sermonibus Christi imprimis huc retulerim loca, ubi clare de Ecclesia sermo est, ut cum gentes dicuntur cum Abrahamo, Isaaco et Iacobo in coelis, vel coelesti regno, sessurae ad mensam, fruentes bonis Messiae, *Matth.* VIII, 11. Item cum *clavis regni coelorum* et *clavis scientiae* permutantur, *Matth.* XXIII, 13. *Luc.* XI, 52. Quod autem ad appellationem *terrae* de Gentibus attinet, ea illustrari videtur posse locis iis, ubi de Gentilibus, quoad a Iudaeis distinguuntur, manifeste *κόσμος* dicitur; quod fit non raro. Sunt enim usu Apostolico eiusdem potestatis. Nam *Rom.* XI, 12. seq. *πλῆθος ἐθνῶν* et *πλῆθος κόσμου* permutantur: et quia olim, e consuetudine Iudaeorum graece loquentium, *κόσμος* dictus erat de Gentilibus, quoad essent extra Ecclesiam, propterea post etiam ii, qui non essent Christiani, sic appellati sunt, ut clare *1 Cor.* V, 10. VI, 2. Hic est *Mundus Gentilium*, de quo extat *Iacobi Altingii* libellus in *Heptade Disp.* V. n. 5. (T. V. Opp. 142.) Sed ille delectatus, ut opinor, sua de verbo hoc obseruatione, significationem eam quaerit in locis N. T. iis, a quibus est alienissimus, ut *Io.* III. 16. XII, 19. I, 29. etc. et contra non videt loca alia, quae sunt perspicue huius significationis, praesertim in illis duabus epistolis, ubi ea verba ab interpretibus fere praetermittuntur, ut

ut

vt *Eph. II, 12.* vbi Gentiles dicuntur ante susceptam fidem fuisse *ἄθεοι, ἐν τοῖς νόμοις*, vt interpungit non male *Bengelius*: (quamquam etiam coniunctum cum *ἄθεοι* aliter capi vix potest; nam in eo, qui physice *νόμος* dicitur, fuisse, nihil attinebat dicere) *Coloss. II, 20. III, 5.* Terram autem ipsam aliis locis Apostolicis sic dici non notaui, nisi sic velit quis accipere in illa Paulli cohortatione in eadem epistola ad *Ephes. III, 5. νεκρώσατε τὰ μέλη ὑμῶν τὰ ἐπὶ τῆς γῆς*, quod non absurdum sit, intelligere, necate illa vitia, quibus indulgent Gentes nondum conuersae ad Christum et receptae in *πολιτείαν* Christi. Nam, enumeratis vitiis, quae membra Ephesiorum terrestria dixerat, addit, *quibus et vos ante dediti fuistis.* Sed haec omnia etsi non habent iustam euidenciam, qualis debet esse, cum e verbis rem et sententiam consequi necesse est, vt in summis capitibus doctrinae, aut cum contextus et res nullas dant ansas tenendi sensus; tamen aliquam vim habent ad sententiam eam, quam res et ratio docet, vtcunque conciliandi cum vsu et analogia sermonis Apostolici, quod in tali genere locorum sufficere potest.

Sed haec disputasse et considerasse vel hac de causa non alienum fuerit, vt animi occupentur diligentiori cogitatione illius beneficii, de quo in principio diximus, incendamurque studio praedicandae benignitatis diuinae, quae et nos per Christum placatos vocauit ad regnum coelorum et Ecclesiam Christi, et per regenerationem a morte reuocatos et viuificatos cum Christo *συνενάθισεν ἐν τοῖς ἐπυρανίοις*, in ipsis coelestibus collocavit in ipso, *Eph. II, 4.* Nam ea facta esse, ait Apostolus, vt perspiciantur diuitiae immensae bonitatis diuinae aduersus nos. Sed hae ipsae tam iucundae et laetae cogitationes etiam hanc vim habent, vt inflamment nos studio vitae sanctae, in qua, vitiis pristinis

XVI

pristinis eorumque reliquiis extirpatis, nouam cum Christo vitam viuamus, per quam sanctitas diuina illustretur, et sanctum Euangelium Iesu Christi ornetur. Ita etiam spem vitae alterius nouae in coelis apud Deum cum Christo per omnem aeternitatem agenda et tenebimus et firmabimus, qua beatus in his terris esse nihil potest. Eas autem tales, tam pias cogitationes, sensus et motus animi, alemus, religiose obeundis per hos dies, tam sanctos et laetos nobis, sacris publicis, tum aliis communibus vniuersae huic Ciuitati, tum propriis nobis, quae fient feria prima in Aede Paullina ab hora XII. inter quae Orationem disertam et elegantem de *Dignitate Fidelium e futuro eorum in vitam reditu cognoscenda*, recitabit M. SAMVEL FRIDERICVS NATHANAEL MORVS, Collegii Principalis Maioris Sodalis, Vir Doctissimus, quam audiuisse non poenituerit. Quo maiori fiducia Vos, *Illustrissimi Comites, Vtriusque Ciuitatis Proceres, et Ciues ceteri Omnes, genere, ingenio, studiis nobilissimi, humanissimi*, ad eam audiendam nobiscum inuitamus. P. P. Domin. Palmarum A. C. MDCCLXV.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.





